



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 8. An est obligatio compensandi lucrum cessans & damnum emergens
ex dilatione solutionis, vel restitutionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ris paribus possit secundum ordinem charita-
tis se aliis præferre.

7. Damnum spirituale, vel temporale gra-
ve ipse creditor, vel alicui tertio probabili-
ter eventurum ex restitutione. Nam tunc
creditor non est rationabiliter invitus, si enim
damnum ipsi immineat, tunc differendo ejus
negotium utiliter geritur: si alius, ipse tenet
ex charitate pati dilationem sibi graviter non
damnosam, ad vitandum gravius damnum
proximi. Imò ex charitate tenemur differre
solutionem, si creditor pecuniâ restituendâ
certò abusurus esset ad peccandum, & spes fit
dilata solutione malum illud impeditum iri:
quia ex charitate tenemur impedire damnum
grave spirituale proximi, etiam cum aliquo
ejus incommodo temporali, si possumus sine
nostro gravi danno, ut patet ex correctione
fraterna, dum adhibentur testes. Item secun-
dum communem, ex iustitiâ tenemur differre, si
creditor re solutâ abusurus sit contrà iustitiam;
v. g. si furens repeat gladium apud te depositum
ad occidendum inimicum, tunc enim
gladium reddere esset proximè cooperari ho-
micio; & alter itus habet ne in talibus cir-
cumstantiis gladium restituas, nisi ex recusa-
tione & quale malum tibi impendeat.

Q. 8. *An est obligatio compensandi lucrum ce-
fans, & damnum emergens ex dilatione solu-
tionis, vel restitutionis?*

Resp. Debitor, qui ex culpa fuit in mora
solvendi

solvendi tempore debito, tenetur ista compensare: quia peccavit contra justitiam, & ex peccato contra iustitiam oritur obligatio resarcendi damnum inde secutum. Quod si sine sua culpa non restituit tempore debito, adhuc ad id tenetur; si debitum erat ex delicto: quia iniuria praecedens est causa illorum, cum sine illa non contigissent, & debitor ex delicto tenetur creditorem restituere in eum statum, in quo fuisset, si iniuria illata non fuisset: alioquin non integrè resarcitur, & tollitur iniuria.

Sed iuxta multos non tenetur debitor ex contractu justo, nisi fuerit culpabiliter in mora: quia non est causa iniusta, ne quidem mediana, lucri cessantis, vel damni ex dilatione obvenientis creditoris; sicque videntur contractus intelligi. Et quia ex Reg. Jur. 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Recte limitant nisi differat solutionem præcisè ad vitandum damnum aliquod gravē, quod statim solvendo pateretur; & non ob necessitatem extremam, vel gravem: nam tunc debitor ex contractu tenetur compensare creditori lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatatione illa licet iusta: quia in pari casu potior est conditio creditoris possidentis ius exigendi solutionem; & pari non est, ut debitor se ipsum servet indemnem cum damno creditoris, cui solvere potest: unde creditor non tenetur aliter consentire in hanc dilationem.

Tom. II.

Q

PARS